



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. XXXII. De Persecutione Sventopelci contra fidem & fideles in  
Pruschia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

*Hermannus de Saltza IV. Mag. Ord. Teut. Generalis.  
Poppo de Osterna II. Magister Prussiae Provincialis.*

## ANIMADVERSIO.

(a) Apostasias Prussorum eas in hoc opere tantum enumerat, quæ sub Ordine Teutonico contigerunt. Harum prima præsentis capite commemoratur: secunda quæ annos 15. duravit cap. 84. & 167. Tertia cap. 184. Quarta cap. 222. Quinta cap. 255.

## CAP. XXXII.

De

*Persecutione Sventopelci contra fidem  
& fideles in Pruschia.*

Fuit in terra Pomeraniæ Dux quidam nomine (a) Sventopelcus, filius iniquitatis & filius perditionis, ut Scriptura impleatur, habens cor plenum omni dolo & fallacia, qui cœpit cum Pruthenorum gente jam noviter conversa ad fidem Christi habere verba pacifica in dolo, confœderans se cum ipsis sub hoc pacto, quod ipsi Fratres domus Teutonicæ & alios Christi fideles à terminis Pruschia ejicerent violenter, bonusque visus est sermo in oculis eorum, & abierunt multi & quasi omnes consenserunt ei. Hoc facto, idem Dux firmavit castra sua circa litus Wisele sita, & posuit in eis gentem peccatricem, viros iniquos & sceleratos, qui facti sunt fratribus in laqueum magnum. Exierunt enim de dictis castris & quoscunq; fratrum subditos viderant navigio praterire, irruerunt super eos repente, & percusserunt eos plagâ magnâ, deducentesque spolia multa, alios ceperunt, quosdam miserabiliter occiderunt, sicque Christianorum sanguinem per circuitum effuderunt, & toties hoc factum fuit, quod nullus de cætero negotia fratrum agere, aut victualia fratribus de Elbingo & Balga & de locis aliis in summa necessitate constitutis ducere præsumebat. Hæc omnia fratres cum  
omni

*Hermannus de Salza IV. Mag. Ord. Teut. Generalis.  
Poppo de Osterna II. Magister Prussie Provincialis.*

omni mansuetudine & patientia voluerunt sustinere, quam defendendo se mittere in Christum domini manus suas.

## ANIMADVERSIO.

AD CAP. XXXIII.

(4) Quid Sventopelcum, qui ad illud usque tempus amicitiam cum Crucigeris sincerè coluit, ad arma contra Crucigeros corripienda impulerit, variant Chronographorum sententiæ. Quidam hoc tribuunt Sventopelci suspicionibus & invidia. Cum enim ille, Cruciferorum potentiam brevi tempore nimium excrevisse, totamque ferè ab ipsis Prussiam possideri cerneret, cœpit ipse sibi metuere, ne subactâ Prussiâ Cruciferi Pomeraniam invaderent. Auxerunt fortasse metum continua bella cum Polonis, quibus Crucigeri ex pacto assistere cogebantur. Ad Prussos itaque missis, ipsisque operam suam pollicitus esse dicitur, si Ordinis jugum excutere vellent. Prussi libertatis pristinae memores faciliè ad arma concitati sunt. In hanc sententiam inclinare videtur Dusbürgius noster, quem sequuntur Casp. Schuz. *lib. 1. fol. 21.* Matth. à Michov. *lib. III. cap. XL.* Mart. Cromer. *lib. VIII. de Ori. & Reb. gest. Polon. fol. 54.* Quædam autem Chronica MSS. Anonymorum recentiora culpam conferunt in Popponis de Osterna Magistri Provincialis rigorem. Innumera enim onera in extruendis arcibus urbibusque humeris Prussorum contra privilegia imposuisse memoratur, quæ cum Prussi ferre non possent, Sventopelcum sollicitarunt, ut se in patrocinium suum reciperet. Habent hæc duo Chronica MSS. in Bibliotheca Wallerodiana, quamvis primum eorum manifestè sibi hoc in puncto contradicat. Addit calculum suum Waissélius *sub Poppone Magistro generali ad An. 1255. fol. 83.* Tandem Joh. Micrelius Sventopelcum ut optimum Principem planè excusat, culpam omnem conjiciens in Cruciferos, qui beneficiorum sibi à Sventopelco, præsertim in bello supra cap. X. memorato, præstitorum immemores, ausi sunt contra Sventopelcum Polonis suppetias ferre. Totam rem sequenti modo enarrat. Cum Lescus Albus à Sventopelco tributum subjectionemque exigeret, Svent-

inno

*Hermannus de Saltza IV. Mag. Generalis, Ord. Teut.  
Poppo de Osterna II. Magister Provincialis in Prussia.*

Sventopelcus, qui nihil horum Polonis debebat, in Conventu Glanfavienfi Lescum occidit, ubi etiam Henricus Dux Wratislaviensis vulneratur. Interea Cruciferi Prussiam intrant, quibus Sventopelcus contra veteres Prussos, ut jam dictum est, suppetias fert: Posthæc Henricus vulneris accepti memor, assumpto in societatem Belli Conrado Masovia Duce, Sventopelci provinciam infestat, arcemque Birgast. quæ hodie à Polonis dicitur Bidgo Sc, occupat. Sventopelcus injuriam hanc ulturus Masoviam ferro & igni vastat, hocque ipso Polonorum arma in se concitat. Hic Polonis Cruciferi se conjungunt & Sventopelci animum contra se exacerbant. Vid. Micræel. *lib. II. Chron. Pomeran. cap. 92. & seqq.* Sed ut jam alia alibi trutinanda præteream, de suppetiis Cruciferorum Poloniae Principi contra Sventopelcum latis nihil legimus in Polonicis vel Prusficis Scriptoribus. Neque verisimile est Cruciferos tum temporis potuisse Polonis suppetias ferre, cum ipsis bella Prusfica satis negotii facefferent. Micrælius etiam non probat suam sententiam ex ullo antiquiorum, meritò igitur nobis videtur esse suspecta, & ex nimio Principum suorum amore profecta.

CAP. XXXIII.

*De*

*Legato Sedis Apostolicæ.*

**H**OC tempore fuit Innocentius Papa IV. qui Pontificatus sui Anno primo, Anno scilicet Domini (a) MCCXLIII. intelligens ex clamorosa insinuatione Fratris Hermanni de Saltza generalis Magistri Ordinis domus Teutonicæ, novellam plantationem fidei in Terra Pruschia notabiliter deficere per tyrannidem Sventopelci Ducis prædicti, misit ad dictas terras Legatum Wilhelmum quondam Mutinensem Episcopum, qui postea

*Anno Domini MCCXLIII. Innocentius IV. Papa & Fredericus II. regnauerunt. Anno MCCXLV. idem Papa concilium habuit Lugduni, ubi instituit octavas Natiuitatis B. Mariae Virginis.*

*Itæ*

*Q*

fuit